

17

18

19

20

21

DISPUTATIO,
De
BONO ET MALO
PRINCIPE.

Cujus subjectas Positiones,
Auxiliante Divinâ Gratiâ,
PRÆSIDE

Clarissimo & Excellentissimo VIRO,
DN. M. REINHARDO
König/Polit. & Historiarum Professore Publi-
co, Facultatis Philosophicæ Primario, & p. t. Rectore
Magnifico, Præceptore & Fautore suo immense
colendo:

In Academia HASSO-SCHAWMBURGICA,
In Auditorio Juridico

Publicè defendendas suscipiet,
JOHANNES GEORGIUS FLACH,
HAMBURGENSIS.

Addiens Aprilis.



RINTHELII,
Typis exscripsit PETRUS LUCIUS, Typogr. Acad.

M. DC. LI.

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis,
Consultissimis, Experientissimo, Reverendo,
Excellentissimo, Honoratissimo,*

DN. BARTHOLDO MULLERO, J.U.L.
Reip. Patriæ Consuli gravissimo & meritissimo.

DN. JOAN - MARTINO BRANDES,
J. U. D. in Academia Hasso - Schaumburgica,
Pandectarum Professore publico, & Juridicæ
Facultatis p. t. Decano spect. bili.

DN. PHILIPPO VALENTINO WACKERO,
Med. D. & Practico apud Hamburgenses ce-
leberrimo.

DN. M. JACOBO Groszen / Ecclesiæ Patriæ
S. Cathar. consecratæ Pastori primario.

DN. JOHANNI ab Uffel, confœderatæ natio-
nis Belgicæ viro præcipuo.


DN. JOAN - BAPTISTÆ Juncker / Civi ac
Patricio Hamburgensi primario.

*Dnn. Evergetis, Fautoribus, Meccenatibus, Pa-
tronis & Promotoribus summis*

positiones Politicas

*Eâ quâ par est Reverentiâ offert,
inscribit ac dedicat*

**Johan Georgius Flach,
Hamburgensis.**



DISQUISITIO
 De
 INSTITUTIONE ET EDUCATIONE
 boni Principis: quæ res bonos vel
 malos principes reddat.

THESIS I.



Estè Philosophorum coryphæus *Plato*: *Educatio*, inquit, & *disciplina bona* bonas naturas efficiunt, & bonæ naturæ tali disciplinâ assuetæ fiunt præstantiores.

II.

Non Apollinis magis verum est oraculum, atque hæc Philosophi sententia. Educationis quippe & disciplinæ magna vis, magna necessitas est, & in hoc cardine summa humanæ vitæ felicitas versatur. Utenim vites pedamentis quibusdam ac radicibus indigent, ne jaceant: sic juvenus monitis ne cedat, & teneræ nimis mentes asperioribus formandæ studijs. *Horat. 3. od. 24.* adeoq; plurimum interest, quibus artibus, & quibus hunc tu moribus instituas. *Juvenal. Sat. 14.* ..

*Educatio-
 nis vis &
 necessitas.*

III.

Cùm ergo ad benè beateq; vivendum maxima sint momenta in educatione & disciplina, in DEUM & REPUBLICAM, ac se ipsos peccant, qui de liberorum educatione omnè abjiciunt curam, aut certè præpostero ordine in educandis liberis desudant. Quid enim? non tantùm generare, sed etiam

A

rectè

Princeps
summo stu-
dio & curâ
educandus.

rectè educare liberos, aut probatis & fide dignis hominibus educandos & instituendos committere, munus est Reipub. maximoperè necessarium. Principem igitur, quia tot populis, tot civitatibus, imò toti orbi instituitur, aut magno omnium commodo futurus, vir bonus, aut maximo omnium exitio futurus vir malus, summo studio, summâ curâ educari par est. Quid enim referret filium genuisse Imperio, vel patriæ, nisi eundem cures educandum Imperio, vel patriæ? *Eras. Roterod. de princ. Inst. fol. 6.* Gracchorum matrem Tullius & Fabius de- prædicant, quòd filios in virtutum gremio quasi enutriverit.

IV.

Intelligens hoc Eteocles spectatissimus Lacedæmoniorum Ephorus, reculavit poscenti Antipatri victori obsides pueros dare quinquaginta, ne scilicet pueri rectæ & liberalis educationis normâ destituti à virtutis semita deviarent, pravosq; peregrinorum mores imbiberent, & tandem ad patrios lares reversi, patriæ disciplinæ fierent inhabiles, bonorumq; civium officio fungi haud possent, quin potiùs senes & quidem duplo numero tradere voluit. Antipatri autem Oceanum & terram miscenti, ferrumq; & ignem minitanti, ni postulatis Lacedæmonij acquiescerent, in hanc ferinè civium suorum nomine sententiam excelso & infracto animo, & ad quosvis casus ferendos stabili Eteocles respondit: **Utcunq; ô Antipater, minas & cædem spires, & vel ipsâ morte acerbiora jubeas, tamen in proposito susceptoq; consilio persistemus, & mortem potiùs obire, quàm pueros dedere paratiores erimus.** Dignum herclè notatione & consideratione exemplum, quod docet fontem omnis boni in universa hominum vita esse probam puerorum institutionem.

V. Atro

V. Atro verò carbone notandi Megarenſes, quos de recta & liberali filiorum educatione parum fuiſſe ſolicitos, memoria nonnulli tradiderunt. Quo nomine Diogenem Scynicum ipſos falſè deriſiſſe perhibent, cùm filios ſuos nudos obambulare, arietes autem pellibus adverſus cœli intemperiem tetos vidiffet, atq; rei indignitate commotum in hanc vocem erupiſſe: **Heu ſatius eſt Megarenſis eſſe arietem, quàm filium.**

VI.

Quomodo informanda juventus, in *communi* docet *Georg. Schönborn. lib. 1. doctrin. polit. c. 8.* de illorum verò, quos fortunæ calculus ad Reip. gubernacula olim admovebit, informatione ſummis vigilijs elucubrata monumenta doctorum extant, quæ in ſuccum & ſanguinem vertere perhonorificum, perq; neceſſarium erit Reipublicæ.

VII.

In cenſu illorum habentur *Pædia Cyri Xenophontis*, quam Dionyſius Halicarnaſſæus boni & felicis Regis, id eſt, magiſtratus imaginem verè appellat, & Scipio Africanus ſemper manibus tenuit: *Libellus Eraſmi Roterodami, Mariana, Heresbachij, itemq; Hieronymi Cagnoli de recta Principis institutione.*

VIII.

Ex horum igitur monitu *ſtatim, & ab ipſis*, ut ajunt, *in* *Optimis opinionibus*, vacuum adhuc & rude futuri principis pectus *ſaluber. pinionibus rimis & rectiſſimis opinionibus* erit præoccupandum, & veluti *ſtatim imbuendus princeps.* pharmacis quibuſdam adverſus falſiſſimarum vulgarium opinionum venenum præmuniendum. Boni enim principis partes ſunt, nihil horum mirari, quæ vulgus hominũ magnificat, & falſis ducitur opinionibus, non ſecus atque hi, qui in

specu platonico defudant, inanes rerum umbras pro rebus veris admirantur: sed omnia veris malis, ac veris bonis metiri: Nihil est autem verè malum, nisi quod cum turpitudine sit cō-junctum. Nihil verè bonum, nisi quod cum honestate copu-latum. *Eras. f. 13.* IX.

Quod si non uno supplicio erit dignus, qui fontem pu-blicum, unde bibant omnes, veneno inficiat: quū non erit no-centissimus, qui principis animum pravis opinionibus, quæ mox in tot hominum perniciem redundant, infecerit? si ca-pite plectitur, qui principis monetam vitiarit, quantò dignior est eo supplicio, qui principis ingenium corruperit? *Plut.*

X.

Protinus igitur *in puerili animo honesti & virtutum semina* sunt jacienda, quæ paulatim ætate & rerum usu suppullulent, ac maturescant, & semel infixæ in omnem usque vitam inhæ-reant. Nihil enim ita penitus infidet, quàm quod primis infe-ritur annis, in quibus quid imbibamus, cum in omnibus per multum refert, tum verò in principe plurimum.

In puerili animo honesti & virtutum semina jacienda.

*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Horat. l. 1. Epist. 2.*

XI.

Quia verò inculcanda, quæ honesta sunt, e contra verò præcavenda, quæ inhonesta, & teneris adhuc sensibus semi-na virtutum instillanda, dum procul abest ab omnibus vitijs animus, nunc eleganti sententiâ, nunc apophthegmate, nunc proverbio, nunc fabellâ amœnâ, nunc apologo festivo, simili vel parabolâ, nunc exemplo memorabili lactandus & imbuē-dus tenellus principis animus est, & si quid aliud est, quo ætas illa delectatur. Appingenda talia tabulis, ascribenda stem-matibus, ut undiq; sint obvia, etiam aliud agenti.

XII.

& Educatione boni principis.

5

XII.

Sanè non aliud æquè idoneum formandi corrigendive principis tempus, quàm *cùm ipse nondum sese principem esse intelligit. Eras. fol. 3. & latè in Adag.*

XIII.

Ante omnia autem *pietatis & orthodoxa religionis cura est Pietatis & habenda*, & principis animo protinus illa infigenda, ut rectè *religionis* monuit Alphonsus Rex Arragoniæ. Salubriter hoc ipsum *cura habenda* hisce verbis monet *Bodin. in Method. Histor.* Ad unius principis institutionem *optimi sapientia magistri ac moderatores* maximis propositis premijs conquirantur: non qui solùm *peregrinâ linguâ*, id quod ineptè & perniciosè antea factum vidimus: sed qui *religione verâ* molles principis animos leniter imbuant. Nam omnium, quæ de legibus & Rep. disputantur, nihil majus est, aut majore studio dignum, quàm ut princeps intelligat, se ad verum DEI cultum in hanc lucem venissè. In eo verlatur Reip. ac legum omnium suprema salus. Qui enim princeps sic erit informatus, ut suarum omniũ rationum judicem ac spectatorem Deum esse cogitet: nihil impiè, nihil sceleratum faciet, nihil turpe cogitabit. Hunc unum sui cives amabunt, metuent, ac ejus exemplo vitam moresq; suos informabunt. Felices sanè non solum princeps, sed etiam subditi censendi sunt, quibus hæc contingunt. *Sic ille.*

XIV.

Maximè etiam addiscenda *ars regnandi*, quæ ars est artium, *Maximè & omnium summa. Chrysost. 2. Ep. ad Corinth. homil. 15. est disciplina disciplinarum, hominè regere, qui certè & inter omnes regnandi.* animantes maximè & moribus varius, & voluntate diversus. *Nazianzen. & orat. 2. Difficile est scire parère. Difficilius scire hominibus imperare. Nihil esse difficilius, quàm benè imperare,*

rare, Diocletianus jam privatus dixit, ceu refert *Flavius Vopiscus in vita Aureliani*. Quamobrem Agis Rex Spartanorum à quodam interrogatus, quod disciplinae genus potissimum excernerent Reges Lacadæmoniorum? scitè respondit: imperare & ferre imperium. *Dn. Goldast. in præfat. tom. 1. Constit. imper. fol. 6.*

XV.

Quæres bonos principes faciat.

Ut autem bonus reddatur Princeps tam ab ineunte ætate, quam in regimine opus erit, ut bonos habeat familiares & amicos, quæ de re insignis extat *Lampridij* locus, qui propter elegantiam ascribendus in *vita Alexandri Severi*, ad *Constantinum Magnum*: Soles quærere *Constantine Maxime*, quid sit, quod hominem Syrum, & alienigenam, talem principem fecerit, quum tot Romani generis, tot aliarum Provinciarum reperiantur improbi, impuri, crudeles, abjecti, injusti, libidinosi. Iam primum possum de bonorum virorum respondere sententia, potuisse naturâ, quæ ubiq; una mater est, bonum Principem nasci: deinde timore, quod pessimus esses occisus, hunc optimum factum. Sed quia verum est suggerendum, clementia ac pietati tuæ, quod in *Marco Maximo* legisti, meliorem esse Rempublicam, & propè tutiorem, in qua princeps malus est, eâ in qua sunt amici principis mali: siquidem unus malus potest à plurimis bonis corrigi: multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono, ullâ ratione superari. Et id quidem ab *Homero Hamulo* dictum est, cum ille diceret, *Domitianum* pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse: atq; adeò illum magis odio fuisse, qui Rempub. pejoris vita hominibus commendaverat, quia melius est unum malum pati, quam multos. Et *Alexander* quidem & ipse optimus fuit (nam hoc nemo vult nisi bonus) & optima matris consiliis usus est: at tamen amicos sanctos, venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces, non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumventores sui, non irrisores, non

qui

qui illum quasi fatuum circumducerent: sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes principes sui, & qui de illo, nec ipsi riderent, nec risui esse vellent: qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, nunquam deciperent existimationem principis sui, sed amarent. Hisce Lampridij verbis perspicue docetur, bonos principis familiares posse ejus amentiae obviam ire ac regere effrenes ejus appetitus, Rempubl. conservare: sed à bono principe malos cõfiliarios vix ac ne vix quidem corrigi posse, quibus nulla est religio principem mendacis fumisq; pascere, quid ipsum scire Reipubl. intererat.

XVI.

Diximus antè *inhonesta & turpia* esse præcavenda: non ergò *collusoribus* quibusvis admiscendū imperio natum salubriter nonnulli monent, sed *bona, verecundaq; indolis pueris, ac liberaliter sancteq; habitis & institutis*. Lascivorum, juvenum ebriosorum, turpiloquorum, in primis autem adulatorum turbam procul ab hujus auribus atque oculis esse arcendam, dum nondum præceptis confirmatus est animus.

XVII.

De *corrupta disciplina* in hunc modum scribit *Eras. fol. 6.* *Corrupta enim pleraq; mortalium ingenia vergant in malum, ad hæc porro nullum tam feliciter natum ingenium, quod perversa educatione non corrumpatur, quid nisi magnum malum expectes ab eo principe, qui quocunq; natus ingenio, (neque enim imagines, ut regnum, ita mentem quoque præstant) statim ab ipsis incunabulis, stultissimis inficitur opinionibus, e- nutritur inter stultas mulierculas, adolescit inter lascivas puellas, inter collusores perditos, inter abjectissimos assentatores, inter scurras & mimos, inter combibones & aleatores, ac voluptatum architectos, juxta stultos ac nequam, inter quos nihil*

Qui colluso- res adhiben- di.

Corrupta educatio.

nihil audit, nihil discit, nihil imbibit, nisi voluptates, delicias, fastum, arrogantiam, avaritiam, iracundiam, tyrannidem, atque ex hac schola mox adhibetur ad regni gubernacula.

XVIII.

Quæres malos principes faciat.

Queritur, inquit Vopiscus in Aureliano, quæ res malos principes faciat? jam primum licentia, deinde rerum copia, amici prætereà improbi: Satellites detestandi, eunuchi avarissimi: aulici vel stulti, vel detestabiles, & quod negari non potest, Rerum publicarum ignorantia. Quod multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Tibi verò princeps optime Mecænas, isthac venditio timenda non est, tum quia omnia singulari calles prudentiâ, tum verò quòd non nisi Comites aulicosq; venerabiles adhibes: & ut taceam ceteros, quis modestior elegantior Casare Imp. juvene extra omnem ingenij aleam posito? quem tu non immeritò diligis, pietissimeq; foves, quum apud se nihil habeat antiquius virtute, nihil jucundius, quàm omnia in te officia reddere cumulatissima. Istuo usus patrocínio, tuo fretus auspicio, ita optimus evasit, ut nihil boni in eo juvene prorsus desideraretur.

XIX.

Merito ergo suo Alexandrum severum deprædicat Lamprid. in vit. Alex. Quòd eunuchos nec in consilijs, nec in ministerijs habuerit, qui soli principes perdunt, dum eos more gètium, aut Regum Persarum volunt vivere: & à populo etiam amicissimum principem semovent qui internuncij sunt, aliud quàm respondetur, sæpè referentes, claudentes principem suum, & agentes ante omnia, ne quid sciat. Qui cum sint, & pravi fuerint, quid, ait, tandem possunt boni sapere? Erat hæc ipsius sententia: Ego de Præfectorum, & Consulium, & senatorum capitibus mancipia ære emptâ judicare non patiar.

XX.

XX.

Assentationem, de qua modò dictum, quod concernit, ea *Assentatio* tanquam perpetuum malum Regum, *Plutarch. in Hannibale*, fugienda. Urbium, Regnorumq; pestis, penitus est fugienda. *Hieron. Cagnol. C. 96. fol.* auget adulatio animum, sicut de Demetrio scribit *Plut. in eius vita.* quòd aliàs per se parum sanus, penitus corruptus sit, cum populus Atheniensis ipsi divinos honores, assignaret. Imò exempla ferè innumera in promptu sunt quibus doceri posset, institutionem etiam optimam in juventute principes habuisse, ideoq; magnam expectationem & spem optimæ indolis præbuisse: Verum unà cum ætate ita adulatorum suggestionibus corruptos fuisse, ut nulla vestigia optimæ disciplinæ & institutionis reliquerint. *Camerar. Cent. 1. hor. successiv. c. 90.*

XXI.

Luculentum ejus rei documentum est in Commodo Imp. quem primum adolescentiæ florem ingredientē Opt. Parens, Marcus Antoninus Philosophus, intelligens difficile esse in maxima licentia moderari sibi, quasiq; frenos imponere cupiditatibus, morti vicinus, consiliarijs suis optimis & prudentissimis commendabat. Breve igitur ad tempus omnia paternis amicis auctoribus gerebantur, qui assiduitatē prudentiq; consilio nullo loco deerant, tantum ei tribuentes laxamenti, quantum satis esse ad tuendam corporis valetudinem arbitrarentur. Paulatim deindè irrepsere nonnulli ex aulico famulatio, qui sibi ad corrupendam juvenis Imp. indolem nihil facerent reliqui: quippe mensarii adultores, qui ventre atque obscœnis voluptatibus felicitatem metiebantur, identidem illum urbis deliciarum admonebant: & nunc, quæ illi visu audituq; jucunda forent commemorabant: nunc rerum

B

omnium

omnium copiam atque affluentiam ferebant laudibus. Tali illecebrarum mentione facilem adolescentis animum voluptatum cupidinibus incenderunt. Perennem, Italicum hominem, militaris disciplinae peritissimum, Commodus praetorianis praefecit, qui adolescentis aetate abutens, delicijs illum ganeisq; corrumpi sinebat: omni cura, laboribusq; susceptis, totum penè Imperium administrabat. Erat enim in homine inexhausta divitiarum sitis, sicut nihili quae acquisierat, pendens, novis semper lucris insatiabilis inhiaret. Hic & paternos Commodi amicos primus calumnijs premere, & locupletissimum quemq; nobilissimumq; in suspensionem ducere instituit: scilicet ut perterrefacto adolescente, atque illis supplicio affectis, causam potestatemq; ipse haberet in eorum bona & fortunas invadendi, ut hisce testatum reliquit *Herodian. l. 1. in vit. Commodi.* commemorat *Lamprid. in vit. Antonin.* quod parasitorum, ludionum, comoedorum impudentiam & temeritatem longè antegressus fuerit.

XXII.

Certè ut teredines lignis innascuntur potissimum teneris & dulcibus: ita ferè generosa, frugi, placida ingenia adulatorè recipiunt ac alunt adhuc recentè. *Plutarch de discrimine adulat. & amicor.* Nec quisquam est tantà prudentiâ praeditus, qui sibi non placeat, sibi non applaudat, se non multis anteponat: adeoq; ut *Machiavel. in principe* ait, qui ab hac peste sibi cavere velit: sive ut loquitur Jacobus Sextus Rex Magnae Britanniæ in δώρῳ βασιλικῷ ad filium Henricū, qui non secum perpetuò circumferat φιλαυτίαν, h. e. internum adulatorem, qui principiū est insolentiae in Regibus. Ille nempe immoderatio amor sui ipsius ad quem si externi adultores accedāt, omnia pervertit, imò confundit & principem ex stulto amentem facit.

cit.

cit. Mariana l. 2. *de instit. princ. c. 11.* Hac de causa Antisthenes fatius esse judicat in corvos, quam parasitos & assentatores incidere. Hi enim viventis animum corrumpunt, illi solum mortui corpus. *Stobaeus serm. 11. XXIII.*

Ejus generis homines serio averfatus Carolus V. Imp. post initam cum Francisco Galliarum Rege, ad Cameracum pacificationem, cuidam Legato summis encomijs in os eum laudanti, in orationis fine dixisse fertur? Utinam & nunc laudasses, & biennio ante vituperasses me parcius, aegre utroque; nunc caruiffem. Modus in laudando juxta ac vituperando fuerit optimus: & cum vivis, tum vero praesentibus efferendis, convenit esse moderatum: dies enim ante occasum, & homo ante diem mutatur supremum. Dare praeterea alicui nimium in os laudis, habet speciem nescio quam assentationis: neque tam virtuti tribuere, quam in aures principum influere velle judicantur. Unde ille Carolus Burgundiae Dux crebris usurpabat sermonibus: neque laudari acriter, neque vituperari vivos principes oportere: quod unum periculo, alterum suspitione non carat adulatoriae artis valde inertis.

XXIV.

Præter sodales & ministros principis, ad assentatorum classem *Assentato-* Eras. & Cagnol. referunt ipsos quandoque; *informatores, mo-* deratoresque pueritia, qui suum agant negotium, non huc spectantes, ut principem dimittant meliorem, sed ut ipsi discedant locupletiores.

XXV.

Utinam apud Christianos minus veritati litaret istud Carneadis apophthegma, quo negavit *quicquam recte à Regum & Principum filijs disci, præter artem equitandi*: quod his omnes adulentur, omnes obsecundant: at solus equus haud intelligens, Rex insideat, an Patritius, an plebejus, dives an pauper, à tergo excutiat,

cutiat, quisquis equitandi fuerit imperitus. *Plutarch. dict. loc.*

XXXVI.

*A teneris
sub optimis
præceptoribus
instituen-
dus prin-
ceps.*

Curandum autem summoperè, à teneris *sub optimis præceptoribus* imbuatur & instruatur princeps. *Cagnol. c. 21. fol. 31.*

XXVII.

*Quales eli-
gendi mode-
ratores prin-
cipum.*

Qui *moderatores seu præceptores* adhibendi, generatim & prolixè præcipit *Melchior Junius part. 2. quest. polit. 49.* ne scilicet *mancipia aut barbari, inconstantes, vinosi*, sed quos commendet
1. *Pietas & vita innocentia.* 2. *Doctrina*, eaq; non ventosa aut circumforanea. 3. *fides & debita diligentia*, ut non obiter & perfunctoriè doceant, informant, examinent discipulos, eorum profectum explorent, corrigant peccata. 4. *Usus & exercitatio rerum*, ut ingenia nosse, & tractare queant, cum pro diversitate naturarum diversimodè sint tractanda, & alia minis cohibenda, alia verbis blandis excitanda: inprimis etiam caveant, ne studia, dum amare nondum possunt, oderint. Talis moderatio & experientia fuit penes Socratem, qui cùm duobus diversæ indolis discipulis Theopompo & Ephoro, esset præfectus: alterum frenis, alterum calcaribus opus habere dixit. Destitutus e contra eâ fuit Linus Præceptor Herculis, qui cùm fidibus rusticè caneret, ideoq; à Præceptore nimis acerbè reprehenderetur, impatiens reprehensionis, ipsum plectro percussum interemit. Pessimè quidem ab Hercule: interim perperam à Lino. *Ælianus l. 3. Var. histor.*

XXVIII.

Talis etiam fuit Maximiliani I. Præceptor, *præceptiunculi modò dictus*. Cùm enim Maximilianus per ætatem ad literas ediscendas habiles fuit, magistro Petro ejus nominis traditus, aliquot annis cum Nobilium quorundam filijs contubernalibus latinas didicit literas, sed cùm ejus præceptor solis dialecticis

lecticis argutijs doctus, *sophismata* illi inculcare vellet, ad quæ capessenda aptus non erat, sæpius atrociter verberatus ab eo, magis ipse verberandus, cum verbera servos deceant, non liberos, tandem effecit, ut literas magis in odio haberet, quam diligeret. *Cuspinian. in vit. Maximil.*

XXIX.

Monet insuper *Jun.* ut parentes filiorum & pædagogorum sint *inspectores*, nec spem omnem in alio, mercede conducto, ponant. Certè nihil tam equum impingat, atque oculus Regis vel domini. *Plut. de insti. puer.* & frons domini plus prodest, quàm occipitium. *Plin.*

XXX.

Conquirendi ergo, ut modò diximus, ad hoc munus viri *eruditione & integritate conspicui*, morum *dexteritate & gravitate* pollentes, quibus & *etas* conciliet reverentiam, & *vita sinceritas auctoritatem*: morum *comitas ac jucunditas amorem ac benevolentiam* ne vel instituentium acerbitate offensus tenellus animus, prius incipiat virtutem odissè, quàm nosse, vel rursus immodicâ indulgentiâ formantis corruptus, quò non oportet, degeneret. *Eras. de princ. inst. fol. 5.* Et hoc est, quod *Socrates* monet, juvenes principes esse velut equos generosos, qui rectè instituti egregij, remissius habiti efferati, intractabiles mordacesq; evadunt.

XXXI.

Eam igitur in omni institutione, tum verò potissimum in principis moderationem adhibendam vult *Eras.* ut præceptoris severitas ætatis premat lasciviam, & nihilominus adjuncta morum comitas leniat, condatq; cohibentis acrimoniam. Talemq; etiam futuri principis informatorem requirit *Seneca*, ut & objurgare nolit citra contumeliam, & laudare

citra adulationem, quem ille simul & revereatur ob vitæ levitatem & amet ob morum jucunditatem.

XXXII.

Correctio
juniori prin-
cipi multū
prodest.

Teneriori sanè principi *correctio* plurimum prodest: ideò facilè se quisq; argui, moneriq; patiatur, quando & ipse per multam licentiam pronior est ad peccandum, & ipsius peccata pluribus obesse solent. Nam ut objecto speculo, faciei nostræ mendas cognoscimus: ita & castigantibus amicis, errores perpendimus animi, qui proximus est ad emendationem locus. Hic autem facilimè deceptioni expositus est, qui nihil audire vult, quod molestum. Imbecillis enim est stomachi, ferre non posse, nisi delicata. *Hieron. Cagnol. de recta princ. inst. c. 6. fol. 40.*

XXXIII.

Nec est, quòd refiliat aut animum despondeat moderator, si fortè *ferocius* aut *intractabilius ingenium* fuerit nactus. Cùm enim nulla sit tam effera, tam immanis belua, quæ non mansuescat curâ & industriâ domitoris, cur hominis ingenium ullum tam agreste, tamq; deploratum existimabit, quod non diligenti mitescat institutione? *Erass. 10.*

XXXIV.

Nec oleum & oleam perditam putet, si præcepta *difficulter ab initio* instillet. Non enim illum statim à *studijs* removendum esse politicorum chorus ingeminat, qui *primis statim annis* indolem & ingenij ubertatem non ostendit. Etamsi enim optima ingenia in prima statim ætate se prodant, *Cælius Rhodiginus l. 31. Antiq. c. 6.* quod etiã sentit *Vopiscus in Probo*, dicens: Neminem aliquando ad summã rerum pervenisse, qui non à prima ætate gradibus virtutis ascenderit: qui non puer seminario virtutum generosiore concretus aliquid inclytum designarit:

gnarit:

gnarit: diligentia tamen atque exercitatione longe plures, quam naturam praestantes fieri, tradit *Majorag. Orat. 15.*

XXXV.

Quod in pomis, itidem in ingenijs esse dicebat *Actius*, quae dura & acerba nascuntur, post fiunt mitia & jucunda: sed quae gignuntur statim vieta & mollia, atque in principio sunt vivida, non matura mox fiunt, sed putrida. *A. Gellius lib. 13. Noct. Attic.* Atque ut vinum, quod in dolio placuit, non fert aetatem, quod est durum & asperum recens, postea placet: ita adolescentia durior maturescit, & ad frugem pervenit, *asserente Seneca.* Sic *Cleontem* & *Xenocratem* cum e Scholasticis maxime hebetioris essent ingenij, dicere tamen solitos fuisse ferunt: similes sese esse aeneis tabellis, quae quidem sculpturam difficulter admitterent, sed insculpta & inscripta tenacius retinerent. *Quintil. lib. 1. Insti. c. 4.* Idem de *Catone Minore* asseritur, quod ab initio stupidus & bardus exstiterit, sed quae semel perceperit, firmiter memoriae ejus fuerint infixae, nec oblivioni tradita.

XXXVI.

Econtra ingeniorum illud precox genus interdum ad frugem non pervenit, perinde ut quae summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, & imitatae spicas herbulae, inanibus aristis ante messem flavescunt. *Quintil. d. c. 4.*

XXXVII.

Rursus non est, quod cessandum putet informator, si feliciter ingenium obtigerit. Nam quod melior est soli natura, hoc magis corrumpitur, & inutilibus herbis & fruticibus obruitur, nisi vigilet agricola. Pariter ingenium hominis, quod feliciter, quod generosius & erectius, hoc pluribus ac tetrionibus obducitur vitij, nisi salubribus praecipis excolatur. *Eras. d. 1.*

CON-

CONSECTARIA.

I.

UTrùm venatio sit exercitium principe dignum? A.

2. Utrùm principes subditis jura venationum rectè ademerint? A.

3. An à principe delatores & auscultatores constituendi? *Plato* siquidem *l. 3. de legib.* in *Repub.* suâ omninò esse jubet. Alij ergò institutum exploratorum ad amoliendas insidiarum & seditionum suspiciones plurimum valere scribunt. *Iust. Lips. l. 4. pol. c. 10.* alij adhibent distinctionem temporum: quando scil. intestinæ seditionis vehemens est suspicio, ut quando ab externo hoste facta est invasio. *Cas. in Sphar. civit. l. 5. c. 11. Althus. in polit. c. 31. f. 348. edit. prior.* ut scilicet incogniti se coetibus hominum immisceant, & collecta, dicta, facta, aut intellecta magistratus referant, ut fecit Chusai amicus Davidis. *2. Sam. 16. & 17.* alij rursus distinguunt inter *Reipub.* status, ut etiam inter naturas subditorum, & pro ratione circumstantiarum magis vel minùs utendum asserunt. Interim princeps audiet quidem omnes, non tamen auscultet, & fidem omnibus adhibeat. *Keckerman. in curs. philosoph. f. 410.*

4. Utrùm in statu innocentiae futuræ fuissent Respublicæ? A.

5. An Respublicæ & Regna vi primùm coaluerint, ut sentit *Bodin. l. 1. de Repub. c. 6. n. 46.* N.

FINIS.



222 1/10001 / MAG 193

SLUB DRESDEN



3 2202136

2009 8 012658

